

*M*  
6  
IOANNIS ERNESTI FLOERCKII, ICTI,  
POT. BORVSS. REGI A CONSILIIIS INTIM., DIRECTORIS  
ACADEMIAE FRIDERIC. EIVSDEMQUE PROFESS. IUR. PRIMAR.,  
FACULT. IURID. ORDINAR.

SCHEDIASMA *Jan 1722, 5*

DE

PRÆROGATIVA  
IURIS CANONICI

PRAE *(14)*

IVRE IVSTINIANO  
IN VTRIVSQUE IURIS DIFFERENTIIS  
NOVIS ANNOTATIONIBVS AVCTVM.



HALAE MDCCLVII.  
LITTERIS IOANNIS IACOBI CVRTII.

JOHANNES WILHELMUS HORNIG (1771)  
HORNIG, JOHANNES WILHELMUS, DIRECTOR  
HORNIG, JOHANNES WILHELMUS, DIRECTOR  
HORNIG, JOHANNES WILHELMUS, DIRECTOR

BOHNENKUCHEN

PRELUDIUM  
HORNIG, JOHANNES WILHELMUS, DIRECTOR

IN DER  
HORNIG, JOHANNES WILHELMUS, DIRECTOR

IN DER  
HORNIG, JOHANNES WILHELMUS, DIRECTOR

IN DER  
HORNIG, JOHANNES WILHELMUS, DIRECTOR

IN DER  
HORNIG, JOHANNES WILHELMUS, DIRECTOR

IN DER  
HORNIG, JOHANNES WILHELMUS, DIRECTOR





## PRAEFATIO.



Cum *Schediasmatis* mei de *praerogativa iuris Canonici prae iure Iustiniano in utriusque iuris differentiis* Ienae d. 8. April. MDCCLXXII. editi exemplaria plane sint distracta atque non solum auditoribus meis, sed et aliis iam per aliquot annorum spatium valde desiderata fuerit noua eius editio: His adductus non dubitavi, quin illud praepremis in usum Auditorum meorum recudere

curauerim. Haud mediocri sane afficior voluptate, meam de hoc argumento sententiam, inter ICTos olim maxime disputatam, postea tanquam communem et in Academiis et in foris esse receptam atque approbatam, id quod ex multis post illa tempora editis scriptis constat, quorum auctores nonnulli meum Schediasma cum encomio citarunt, meisque vti sunt argumentis.

In noua hac Editione nihil immutare volui; hinc etiam §. vltimum, lectiones meas tum temporis, cum primum prodiit hocce Schediasma, habendas, simulque methodum, qua in Collegiis meis vti consueui, indicantem retinui, quo praefentes Dn. mei Auditores de hac etiam reddantur certiores. Nonnulla autem, quae forte ad vnius vel alterius articuli a me allati maiorem illustrationem inferuire possint, suppleui, et aliquot allegationes ICTorum tam antiquorum, quam nouiorum iis adieci. Dabam Halae. Calend. iiii. Ianuar. MDCCLVII.

## §. I.

Quamuis ius *iustinianicum* magnae sit autoritatis, eiusque *Scriptores de usu* vsus non tam ex promulgatione, quam ex receptione *in plurimis Europae terris & inprimis in Germania et auctoritate iuris romani.* pateat, vt erudito tractatu demonstravit ARTHVRVS DVCK (a), HVLDERICVS ab EYBEN (b), HENRICVS LINCKIUS (c) & SAMVEL STRYCKIUS (d); attamen ius *canonicum* longe maiorem sibi vindicat auctoritatem, vsumque potiore habet, adeo vt illud magna *praerogatiua* prae iure ciuili iam olim semper gauisum sit, atque adhuc hodie gaudeat tam in terris et foris pontificiorum, quam protestantium; quod iam in praesentiarum demonstrare constitui. Nam licet plures elegantes commentationes de usu et auctoritate iuris canonici extent, ut CASP. ZIEGLERI (e), IO. STRAVCHII (f), HVLDER. EYBENII (g) IO. FRIDER. RHETII (h) et B. IVSTI HENNINGII BOEHMERI (i): nemo tamen eorum

A 3

prae-

(a) de *usu et auctoritate iur. romani* Lipsiae 1676.

(b) de *auctoritate vsuque iuris Iustiniani in Germania*, Helmst. 1672. et in Oper. P. II. p. 170.

(c) binis dissertat. 1679. et 1680. habitis Altorfii de *iuris iustinian. receptione et auctoritate in Germania*.

(d) discursu praeliminari *vsui moderno pandectarum* praemisso, de *auctoritate iuris romani in foris Germaniae*.

(e) diss. praeliminaris ad LANCELOTTI *inslit. iur. canon. de origine et increment. iuris canonici*, recusa Ienae 1722.

(f) diss. de *origine, libris et auctoritate iur. can.* Ienae 1673.

(g) diss. de *origine, progressu, vsu et auctoritate iuris canonici inter protestantium*, Helmst. 1672.

(h) diss. de *auctoritate iuris canonici inter A. C. consortes*.

(i) diss. de *praxi iur. canon. in terris protestantium* Halae 1712. His excitatis autoribus addendi sunt CVPR. REGNERI ab OOSTERGA Icti Belgae diss. de *iure can. quomodo et quando hoc vim legis habeat in foris*

praeter laudatum BOEHMERVM iuri canonico in genere praerogatiuam asseruit. Primus fuit HERMANNVS CONRINGIVS Medicus in academia Helmstadiensi celeberrimus, qui (k) communem opinionem, ius romanum iure canonico antiquius esse, dubiam reddidit. Eum secuti sunt B. THOMASIVS (l) & BOEHMERVS (m) qui praeterea praerogatiuam iuris canonici prae iure ciuili adfiruerunt. Ast cum non ex instituto, sed passim in scriptis suis hoc egerint, operae pretium erit, in rem, quae tanti momenti in scholis pariter ac in foris est, paulo penitius inquirere, inuentis noua argumenta adde-  
dere, omniaque plenius illustrare (n).

Ius can.  
antiquum  
canonicus  
concilior.  
constans.

§. II.  
Ius canonicum primis temporibus constabat canonicus conciliorum, qui licet per se nullam vim legum haberent, utpote qui ab episcopis nullam potestatem legislatariam habentibus conditi erant: sed saltem obligarent ecclesias per modum pacti vel consilii (a); postea tamen auctoritatem iuris  
acce-

ris nostris, EIVSD. *Censurae Belgicae* P. II. p. 315. adiecta. Ex nouioribus praecipuos allegaui in *Praenot. iurispr. eccl.* §. XXII. not. (b) p. 42.

(k) in erudito opere de *origin. iur. german.* c. 26. 30. & 31.

(l) in *cautelis circa praecognita iuris prud. eccles.* c. 21. & 22.

(m) cit. *diff. & iur. eccles.* L. I. tit. II. quam suam sententiam in *Instit. iur. can.* postea editis L. I. tit. II. §. 26. denuo confirmauit.

(n) Non ago hic de praestantia iuris canonici prae iure ciuili in genere, quam tam ratione causae efficientis, quam obiecti et finis tribuere solent Canonistae, ut ERNRICVS PIRHINGIVS *method. iur. canon. nou. prolegom.* §. 3. n. 16. et alii ibi citati; sed de praeserentia iuris canonici prae iure ciuili *Iustiniano* in *specie*, et quidem ratione effectus, seu quoad vim obligandi in vtriusque iuris differentiis, iuste an iniuste id factum sit, hic non inquirō.

(a) conf. GEBHARD. THEOD. MEIERS in *historica relat. de collectionibus canon.* §. 12. *Codici canon. eccles. uniu. Helmst.* 1663. edito praemissa;



accepert ab imperatoribus christianorum sacra profitentibus, qui illos non solum confirmarunt, sed et eosdem legibus ciuilibus praeferendos esse statuerunt. Sic THEODOSIVS iun. <sup>authorita-</sup> constitutione ann. ccccxxi. (b). <sup>tem lega-</sup> *Omni inuouatione cessante* <sup>lem acce-</sup> *ueteratem et canones pristinos ecclesiasticos, qui usque nunc* <sup>pit.</sup> *renuerunt, etiam per omnes Illyrici prouincias seruari praecipimus &c.* Longe maiorem autoritatem et vim canonibus tribuerunt VALENTINIANVS et MARCIANVS Impp. (c) constitutione a. ccccliv. emissa, dum omnes constitutiones principum canonibus ecclesiasticis aduersantes abrogant: *Omnes sane pragmaticas Sanctiones, quae contra canones ecclesiasticos interuentu gratiae vel ambitionis elicitae sunt, robore suo et firmitate vacuatas cessare praecipimus.* Sic et IVSTINIANVS Imp. non solum sanciuit canones oportere pro legibus valere (d): *Sancimus igitur vicem legum obtinere sanctas ecclesiasticas regulas, quae a sanctis quatuor conciliis expositae sunt aut firmatae &c.* sed et IDEM (e) iisdem maiorem autoritatem prae legibus ciuilibus tribuit asserens, custodiae canonum principes plus prospicere teneri quam legum <sup>et praese-</sup> <sup>rentiam</sup> <sup>prae legi-</sup> <sup>bus Impp.</sup> <sup>ciui-</sup>

missa: cf. meae *Observat. ad SCHILTERI instit. iur. canon. L. I. tit. II. §. 10. p. 14.* et *Praenot. iurispr. eccles. §. II. not. b. p. 4. et §. XX. p. 34.*

(b) *L. 45. C. Theodos. de episcopis et cleric. & l. 6. Iustin. de SS. eccles. add. IAC. GOTHFR. ad cit. leg. T. VI. p. 89.*

(c) *L. 12. §. 1. C. de SS. Eccles.*

(d) *Nou. 6. c. 1. §. 8. et Nou. 131. c. 1.* Per *expositos* canones Imp. cit. *Nou. 131.* intelligit canones in ipsis quatuor conciliis sanctos; per *firmatos* intelligit canones priorum conciliorum ante *Nicen. I.* qui in eo sunt suscepti et confirmati; Ita hanc *Nou.* explicat THEOD. BALSAMO ad *Nomo-can. Photii tit. I. c. 11.* add. GERH. van MASTRICHT *histor. iur. eccles. n. 53.* et B. EYDDEVS *theolog. mor. c. 1. §. 17. p. 444.*

(e) *Nou. 137. praefat.*

ciuiliū: Si ciuiles leges, quarum potestatem Deus pro sua in homines benignitate credidit, firmas ab omnibus custodiri ad obedientium securitatem studemus; QUANTO PLUS studii adhibere debemus circa SACRORVM CANONVM ET DIVINARVM LEGVM custodiam, quae super salute animarum nostrarum definitae sunt. Et IDEM (f); si enim illa, quae a laicis peccantur, generales leges non concedunt, extra inquisitionem et vindictam manere, QVOMODO a sanctis apostolis et patribus super omnium hominum salute CANONICE statuta despici patiemur. Nec non IDEM (g) leges ciuiles expresse subiicit canonibus ecclesiasticis dicens: Sacras et diuinas regulas nostrae sequi non dedignantur leges: Quod sequentibus temporibus Pontifices ad conciliandam suis decretalibus praerogatiuam prae constitutionibus Imperatorum in suum vsum conuerterunt ad hanc Nouellam saepe prouocantes (b). Ex his satis liquet, statim initio commune dogma fuisse, canones plus valere quam leges ciuiles: quod sine dubio venit ex illo principio, canones eandem cum S. Scriptura habere auctoritatem: uti et ipse IVSTINIANVS (i) canones quatuor conciliorum sanctis scripturis aequiparauit.

## §. III.

Post Iustinian.  
apud  
Graecos  
ius canon.  
prae iure  
ciu. obtri-  
nuit.

Post IVSTINIANI tempora in oriente mansit quidem longo adhuc tempore iuris iustiniani auctoritas in foris atque gymnasiis, sed sequentibus temporibus per imperatorum graecorum nouas constitutiones sensim obfuscata, & per compositionem librorum βασιλικῶν pene in totum abolita fuit (a).  
Ast

(f) cit. Nov. 137. c. 1. init.

(g) Nov. 83. c. 1.

(b) c. 1. et 2. X. de nov. oper. nunciat.

(i) Nov. 131.

(a) quod plenius demonstrat B. G. STRVVIUS auunculus meus parentis loco venerandus c. 4. hist. iur. graeci §. I. fqq.

Ast ius canonicum suam auctoritatem retinuit illibatam, et licet postea cum iure ciuili graecorum coniungeretur (b); attamen in discrepantia vtriusque iuris, ius canonicum prae iure ciuili obtinuit, quod probat THEODORVS BALSAMO Patriarcha Antiochenus (c) dicens: *quia canones ab imperatoribus et a sanctis patribus editi et confirmati, tamquam diuinae scripturae suscipiuntur, leges autem a solis imperatoribus aut editae aut acceptae sunt, et propterea vim non obtinebunt aduersus diuinas scripturas aut canones.*

## §. IV.

In occidente vsus iuris iustiniani post excessum IVSTI. In Occidentis imp. legibus Longobardorum et Francorum introductus valde imminutus, et per sexcentos fere annos vsque ad Lotharii II. imp. tempora exiguus et saltem arbitrarius fuit, ut plenius demonstratur HERM. CONRINGIVS (a) et B. B. G. STRVVIVS (b); Sed iuris canonici auctoritas semper salua et illaesa, quin potius per varias compilationes Dionysii Exiguus, Fulgentii Ferrandi, Io. Scholastici, Martini Bracarensis, atque pro Cresconii Africani, Alexii Aristini, Simeonis, Arsenii &c. (c) mouetur.

B

vbi-

(b) hoc factum a PHOTIO Patriarcha Constantinopolitano, qui circa ann. 880. Nomocanonem, ita dictum, quia partim ex legibus, partim ex canonibus congestus esset, conscripsit, quem repetita praelectione repurgatum edidit CONSTANTINVS Porphyrogenitus, quemque ZONARAS monachus circa an. 118. et THEODORVS BALSAMO Patriarcha Antiochen. circa an. 1190. commentariis illustrarunt. vid. MASTRICHT *hisor. iur. can. n. 240. et n. 339.*

(c) in comment. in PHOTII *Nomocanonem tit. I. c. 2.*

(a) de *orig. iur. c. 20.*

(b) *c. 5. hisor. iur. iustiniani restaurati §. 5. seqq.*

(c) quas congescit CHRISTOPHOR. IVSTELVS et postea HENRICVS eius filius sub titulo: *Bibliotheca iuris canon.* in duos tomos distribuit. Lutetiae 1661. in fol.

*inprimis  
inGermania.*

vbius terrarum longe aucta fuit. Imprimis vero in Germania, cum iam sec. VIII. per BONIFACIUM Germanorum vulgo Apostolum dictum, nec non per receptionem Codicis DIONYSII EXICVI sub Carolo M. et collectionis ISIDORI Peccatoris sec. IX. (d) vsus iuris canonici cognitus esset, ille eo magis sec. X. promotus fuit per REGINONIS Prumiensis Archiepiscopi Treuirensis ex canonibus antiquis et Pontificum Romanorum decretis collectos (e), nec non sec. XI. per BURCARDI Episcopi Wormatiensis similem collectionem subtit. *Magnum canonum volumen* (f); quo tamen tempore nullus adhuc vsus fuit iuris Iustiniani in Germania: vt ita facile pateat praerogatiua iuris canonici ratione receptionis et antiquitatis prae iure ciuili in Germania (g).

§. V.

*Incrementum  
autoritatis  
iuris*

Magnum deinde incrementum autoritati iuris canonici accessit medio sec. XII. per *Decretum* GRATIANI, primam partem Corporis iuris canonici constituens: quod licet Pontifices

(d) vid. STEPHAN. BALVZIVS in *praefat. ad Reginonem*, IO. SCHILTER. de *libertate ecclesiae germ. Lib. II. c. XII. §. 25.* MASTRICHT *hystor. iur. canon. n. 78.*

(e) quos primus edidit IOACH. HILDEBRAND. *Helmst. 1659. 4.* postea vero edidit STEPH. BALVZIVS cum eruditis notis. Parisiis 1671. 8.

(f) eaque collectio in XX. libros distincta prodiit Col. 1548. fol. admodum rara.

(g) Equidem B. BOEHMERVS *cit. diff. de praxi iur. can. in terris Protest. §. XXIX.* existimat, ius can. in Germania non prius receptum fuisse, quam ius iustin. sed vtriusque iuris receptionem eodem tempore factam. Verum licet hoc facile concedam de receptione totius Corporis iuris can. hoc tamen non intelligendum de iure canon. antiquo, quod maxima ex parte decreto Gratiani insertum est, cuiusque autoritas iam longe ante receptionem iuris iustin. in Germania magna fuit.

tifices nunquam expresse confirmarint, cum multa in eo occurrant, quae plane falsa, spuria et incerta sunt, ut plenius *can. prae iure iustinian. per decretum Gratiani sec. XII. accessit.* probauit ANTON. AVGVSTINVS (a): nec pauciora ibi inueniantur, quae ipsi auctoritati papali contraria sunt, ut pluribus demonstrauit INNOCENT. GENTILETTVS (b); tacite tamen artibus clandestinis eius auctoritatem Pontifices promouerunt optime iudicantes in fauorabilibus se huius ope uti, in aduersis autem exceptionem deficientis approbationis opponere posse; et cum hoc *Decretum* GRATIANI scholis ad praelectionem datum sit, ex his quoque in fora et iudicia usu et consuetudine sensum translatum est: cuius deinde auctoritatem valde promouerunt *Glossatores* glossis suis opus GRATIANI illustrantes (c). Quia vero eodem tempore Ius Iustinianum in Academia Bononiensi ab Innerio et aliis in lucem producebatur, magna quoque aemulatio et contentio inter utriusque iuris Doctores, quorum illi *Decretistae*, hi vero *Legistae* dicebantur, oriebatur (d); vnde et prouerbium a Legistis ortum: *Magnus Canonista, magnus Afnista*, (e). Nul- lum tamen dubium est, etiam eo tempore *Decretistarum* auctoritatem fuisse maiorem, quia a Pontificibus suslinebantur

B 2

et

(a) Archiep. Tarrac. de emendatione Gratiani, quem cum suis et STEPH. BALVZII notis edidit GERHARDVS VAN MASTRICHT Arnhemiae 1678. 8.

(b) in apologia pro Ecclesiis reformatis. secunda vice edita 1588. 8. conf. Praenot. iurispr. eccl. §. VIII. p. 16. seqq. et tr. sub titulo: Gedanken von der Nothwendigkeit und Nutzen der Erlernung des sowol canonischen Päbstlichen, als Protestantischen Kirchen-Rechts vor einen Studiotum Theologiae, §. XII. vbi plures autores, qui hoc argumentum pertractarunt, excitauit.

(c) vid. PANCIROLLVS *declaris legum interpretibus* l. III. cap. 3. MASTRICHT n. 334.

(d) vid. PANCIROLLVS l. II. c. 14. et l. III. c. 2. et GRAVINA de ortu et progressu iuris p. 101.

(e) de quo videatur HOTTOMANNVS *Anti-Triboniano* c. XIII.

et promouebantur. Et sicut ex dictis patet, ius canonicum receptione aliquot seculis antiquius esse, quam ius Iustinianum; ita per se sequitur, Ius canonicum tam altas radices e-gisse, ut cum Ius Iustinianum sec. XII. post tanta temporum spatia iterum euigilauerit, non nisi in supplementum iurium, tum iam vigentium, adhibitum fuerit. Vnde et commune dogma constitutiones principum constitutionibus ecclesiasticis non praefendas, sed subiiciendas esse, vsque ad haec tempora propagatum fuit, ut patet ex GRATIANI decreto (f), qui hoc per totam distinctionem variis Patrum et Pontificum dictis demonstrare laborat, et post c. 6. concludit: *Ecce quod constitutiones principum ecclesiasticis legibus postponendae sunt.*

## §. VI.

In primis  
in Germania  
Sec.  
XIII.

Hoc decretum GRATIANI in Germania quoque non solum magnam auctoritatem, sed et insignem praerogatiuam prae iure Romano accepit. Nam cum sec. XII. magna Germanorum iuuentus studiorum causa ad Academiam Bononiensem et Parisiensem, fama vbique terrarum celebratas, proficisceretur, ibique ius canonicum publice praelectum audiret (a); non potuit non, quin hoc iure edocta et postea domum reuersa in fora et iudicia Germanica illud introduceret; vnde iam sub *Fridericio I. Imp.* in Germania *Decretistae* inueniuntur, qui in aulis principum in grauissimis decidendis iuris causis adhibiti sunt, ut ex ARNOLDOLYBECENSI (b) refert IO. SCHILTERVS (c). EO magis autem Sec. XIII. vsus decreti per Germaniam se extendisse patet ex eo, quod IOAN. SEMECA Praepositus

(f) *distinct.* 10.

(a) ODOFREDVS memoriae prodidit Azonis tempore, qui circa finem sec. XII. vixit, Bononiae circiter decem millia studiosorum fuisse, quorum magna pars Germanica iuuentute constabat, referente HOTTO-MANNO in *dedicatione comment. ad institut.*

(b) L. III. c. 10. (c) de *libert. eccles. german. c. V. §. 3.*

positus Halberstadiensis, *glossas in decretum* scripserit (d), quod sine dubio non fecisset, nisi eo iam tempore magnum decreti usum in Germania esse deprehendisset. Sicut et eodem seculo in priuatorum documentis saepissime iuris canonici mentio fit, et ad eius *decretum* prouocatur, vt ex antiquis documentis demonstrat IO. NICOL. HERTIVS (e). Et licet simili modo ius Iustinianum in Germania in usum deductum sit, vt B. THOMASIVS (f) demonstrat; in eo tamen ius canonicum prae iure ciuili insignem praerogatiuam habuit, quod illud expressa lege ab imperatoribus accedente publico ordinum consensu sit confirmatum, de hoc vero talis confirmatio non extet. Sic enim Imp. FRIDERICVS II. in Reccessu Moguntino de anno 1236. c. 15 apud GOLDASTVM (g) expresse statuit, secundum ius canonicum iudicandum esse: Wir gebieten auch vestiglich, daß man in allen Römischen Reichen an geistlichen Dingen nach Gebot und nach Art der Erz-Bischöffen sich habe, und jeglichen Bischoff oder Erz-Priester nach Geistl. Rechte richten: Man soll auch die weltlichen Gerichte an ihren Recht behalten (h).

B 3

Idem

(d) vid. PANCIROLLVS l. III. c. 6. editionis HOFFMANN. p. 323. MASTRICHT n. 334. et IO. ANDR. SCHMIDIUS abbas Mariaevallensis diss. qua de *Triumviris Halberstadiensibus*, et inter hos de IO. SEMECA agit Helmstad. 1715.

(e) diss. de *consultationibus, legibus et iudiciis romano-germanici imperii rebus publicis*. §. 14.

(f) diss. de *usu legum Iustinianearum*. §. 13. seqq.

(g) *Reichs-Satzungen P. II. §. 17.*

(h) CONRING. de *orig. iur. germ.* c. 26. verba adducta ita interpretatur, iudiciorum quoque ciuilium processum iuxta ius canonicum instituendum esse; Licet quidem haec explicatio non extra dubium sit; certum tamen, est hic non intelligi iura Iustiniana, sed consuetudines Germaniae, quae iam in multis capitibus receperunt iura canonica. vid. THOMASIVS *caut. circa praecognit. iur. eccles. c. XXI. §. 36.* add.

SCHIL-

Idem repetitum a RVDOLPHO Habsburgico et in *Recessu Wurtzburgenſi* anno 1287. et in *Recessu Spirenſi* anno 1291. apud LEHMANNVM (i). Praeterea idem FRIDERICVS II. Imp. iam anno 1220. in ipſo inaugurationis die constitutionem edidit (k), qua omnia ſtatuta et conſuetudines canonibus eccleſiaſticis aduerſas per totam Italiam irritas eſſe iubet: *Caſſa et irrita eſſe denuntiari per totam Italiam praecipimus omnia ſtatuta et conſuetudines contra libertatem eccleſiae eiusque perſonas inductas aduerſus canonicas et Imperiales ſanctiones et ea de capitulationibus aboleri mandat noua conſtitutio.* Eundem Honorium III. Pontificem intendiſſe, ut ius Iuſtinianeum in eorum ſupprimeret, et e contra ius canonicum magis eueheret, patet ex eo, quod illud in Gallia doceri vel in praxin deduci ſub anathemate prohibuerit (l): *Sane licet ſancta eccleſia legum ſecularium non reſpuat ſumularum, quae aequitatis et iuſtitiae veſtigia imitantur; quia tamen in Francia et nonnullis prouinciis locis romanorum Imperatorum legibus non vtuntur, et occurrunt raro eccleſiaſticae cauſſae tales, quae non poſſunt ſtatutis canonicis expedi-*

SCHILTERVS in *dedicat. prax. iur. roman. in foro germ. p. 2.* vbi docet ſub his verbis, leges germanicas et iura prouincialia intelligi.

(i) Chron. *Spirenſi* l. V. c. 108.

(k) quae extat inter HONORII III. *epiſtolas*, quaeque *authentica* relata eſt in *C. tit. de SS. eccleſ.* Certo certius eſt Honorium III. *Frideric*o Imper. hanc constitutionem, nec non illam, quae extat *authent. ſtatutum C. de epiſc. et cler.* in fauorem clericorum latam extorſiſſe; dilata per ſexennium coronatione. vid. FRANC. DVARENVS de *S. eccleſ. miniſter.* l. VII. c. 10. et HERM. CONRINGIUS de *iudic. Germ.* §. 72.

(l) reperitur eius conſtitutio ann. 1220. emiſſa in c. 28. X. de *privileg.* add. MEZERAËVS *ſyſtem. hiſtor. Gallicae* Tom. II. p. 821. vnde ab eo tempore ius ciuile non doceri publice Lutetiae, ſed quatuor duntaxat membris ſeu Facultatibus conſtare vniuerſitatem illam, ſcilicet Theologica, Decretorum, Medica et Artium refert SAM. MARESIUS de *iur. can. lb. 16.*



pediri, ut plenius sacrae paginae infestatur, firmiter interdici-  
mus, et distinctius inbibemus, ne Parisiis vel ciuitatibus seu aliis  
locis vicinis quisquam docere vel audire IUS CIVILE praesum-  
mat; et qui contra fecerit, non solum a coussarum patrociniis  
interim excludatur, sed et per episcopum loci excommunicari-  
onis vinculo innoderur.

## §. VII.

Sicut igitur *Decretum* magnam praerogatiuam habuit *It. per*  
prae iure Iustiniano, ita non minorem accepit compilatio *De* *compila-*  
*cretalium* GREGORII IX. (a) quae per Raymundum de Penna *tionem*  
forti Capellanum et Poenitentiarium suum a. 1230. publica- *decretal.*  
tione dubio ad magis magisque supprimendum ius Iustinianum *Gregorii*  
fuit composita, quia multa de causis ciuilibus et processualibus *IX. Boni-*  
ibi inserta sunt, quae in decreto non reperiuntur, eum saltem in *facii libr.*  
finem, ut non opus sit in causis ciuilibus ad ius imperatorum *Sexti, Cle-*  
recurrere (b). Quae etiam iuris canonici auctoritas per colle- *ment. et*  
ctionem libri *Sexti, Clementinarum et Extravagantium* magis *Extra-*  
magisque stabilita fuit; et cum Germania iam antea Deere- *vag.*  
tales Pontificum summa veneratione et obsequio susceperit, non  
mirandum est, has GREGORII IX. BONIFACII VIII. CLE-  
MENTIS V. IO. XXII. aliorumque Pontificum collectiones  
non

(a) Hanc iam aliae collectiones scil. *Bernhardi Circae, Ioannis Gal-*  
*lensis, Bernhardi Compostellani, Petri Beneuentani, Tancredi Bononi-*  
*ensis* praecesserunt, sed priuata auctoritate saltem erant conscriptae. v.  
MASTRICHT n. 336-352.

(b) Hoc bene obseruarunt FRANCISC. DVARENVS praefat. libris  
de *sacr. eccles. ministeriis* praemisla, et PETR. DE MARCA de *concord.*  
*sacerdot. et imper. l. III. c. VI. n. 4.* vnde et CUIACIUS ad c. vlt. X. de  
*sentent. et re iudic.* notat, Gregorium IX. vltro pleraque de suo inferuis-  
se non aditum nec interrogatum ut suppleret scil. quod ex iure ciuili a-  
lias peti necesse esset, et ut totum ius imperatorum, si rem attentius re-  
puto, destrueret et aboleret.

non solum in materiis ecclesiasticis, sed et ciuilibus vsu et consuetudine receptas fuisse, et iuri Iustiniano praeualuisse, tam ob praesumptam *pietatem*, quam imaginariam *aequitate* et Glossatorum *auctoritatem* (c). Hanc iuris canonici auctoritatem non solum in iudiciis ecclesiasticis, sed et secularibus in Germania vniuersalem fuisse testatur collector *speculi Sueuici*, qui sec. XIV. ante imperium Ludouici Bauari vixisse videtur (d), cuius haec sunt verba (e): *Auß den zweyen Büchern (Decret und Decretal) nimmt man all die Rechte, die geistl. und weltl. Gericht bedarff.* Et licet non negandum sit, iam eo tempore in Germania magnum quoque fuisse usum iuris Iustiniani; attamen ius canonicum prae iure romano praeeminentiam et primatum retinuisse probari potest ex eo, quod non solum illud a Friderico II. et Rudolpho Habsburgico Imp. expresse confirmatum (f), sed et quod eo tempore creditum fuerit (g), potestatem secularem dependere a spiritali, vel potius eccle-

(c) vt latius demonstrat B. BOEHMERVS *iur. eccles. L. I. tit. II. §. 38. seqq.*

(d) quod non sine verisimilitudine probauit CONRING de *orig. iur. c. XXX. p. 138.* (e) *l. l. c. 5.*

(f) vid. §. *anteced.* Ad quod illustrandum addi potest, quod SCHILTERVS in *dedicat. prax. iur. rom. p. 3.* scribit: *quare et isto seculo nullus iuris iustin. per forum germ. vsus, sed in causis ecclesiasticis iure Pontificio solo, in causis ciuilibus iure Prouinciali german. et hoc cessante, iure eodem pontificum ordine procedendi utrobique Pontificio. Imperante Sigismundo itemque Friderico III. et Doctores iuris Romani ex Italia in Germaniam adducti ab imperatoribus et muneribus admoti, et vsus aliquis iuris illius Germanis commendatus fuit, sed teste Petro de Ando L. I. c. 10. ab his despectus: donec ad finem Sec. XV. a. 1495. Maximilianus Imp. tribunal Imperii camerale fixum erigeret, et eidem ius ciuile Iustinianicum, nec solum tamen, sed vna cum Pontificio et Prouinciali German. pro norma iudicandi praescriberet.*

(g) vid. BOEHMERVS *c. l. §. 38.*

ecclesiastica, et hanc ei praeferendam esse. Sicut non erubuit Pontifex de se asserere:

*Rex ego sum regum, lex mea est maxima legum,  
Te facio regem, tu rectam dilige legem (b).*

Vnde collegerunt, leges ecclesiasticas et imprimis Pontificis legibus ciuilibus praeferendas esse. Accedebat (i) dogma pontificium de potestate Papae vniuersali, et hinc nata opinio, legibus pontificiis vniuersum mundum parere debere: quae omnia ad hoc proficiebant, vt iuri a Gregorio IX. et sequentibus Pontificibus constituto in omnibus iudiciis liberrimus pateret aditus, et iudices ad Pontificem magis respicerent, quam ad Imperatorem. Ex quo porro sequebatur, ut etiam in scholis iuri canonico ardentius, segnius iuri ciuili opera daretur, quod illius maior nunc esset utilitas et potior cura.

§. VIII.

Sec. XIV. et XV. cum in Germania academiae erigerentur euocatis ex Italia vtriusque iuris Doctoribus, in iis quidem vtrumque ius tam canonicum quam ciuile praelectum est, ita tamen vt illud principatum teneret. Nam Carolus IV. Imp. Academiam *Pragensem* conditurus, tantum canonici iuris Professores constituit, nullos romani, referente BOHESLAO BALBINO (a): *Carolus imp. primarias quatuor facultates Theologicam, Philosophicam, IURIS CANONICI et Medicinam instituisse: iuris ciuilis ibi nulla mentio fit. In academia Erphordica an. 1378. a Clemente VI. vel ann. 1389. ab Urbano VIII. erecta, licet data sit licentia iuris romani non minus, quam canonici docendi, tamen eo tempore in foro iuris illius vsum per Thu-*

C

(b) Legitur hic versiculus inscriptus in Bibliotheca regia Berolinensi MSto Gratiani antiquissimo, vt annotauit B. BOEHMERVS in *iur. publ. vniuers. P. spec. l. III. c. u. n. 6. p. 593.*

(i) conf. ZIEGLERVS c. l. §. 53.

(a) in *epit. histor. rerum Bobemicarum l. IV. c. 6. in not. p. 425.*

ringiam nullum fuisse refert CONRINGIVS (b). Sic et in Academia *Heidelbergensi* initio foundationis anno 1386. tres Doctores iuris canonici constituti sunt, nulli Doctores iuris ciuilib; Sic enim in *Cbron. Belgic.* (c) de Ruperto rege Romanorum: *Fundauit studium vniuersale Heydelbergense et dotauit, et priuilegiis ornauit notabiliter erigendo ibidem venerabilem ecclesiam collegiatam, in qua semper tres Doctores sacrae Theologiae, TRES DOCTORES in IVRE CANONICO, vnus Doctor in Medicinis, vnus Doctor Theologiae, qui sit praedicator: tres Magistri in artibus, et duodecimus eorum Decanus, qui simul Doctor de facultate Theologica, aut iuris canonici.* Idem probat diploma *Ruperti* de anno 1393, apud SCHILTERVM (d). Also nemlich daß Meistern und Doctoren und gute Graduirte in der heiligen Geschriift und in Geiſtlichen Rechten und in der Arzney etc. Vnde et recte SCHILTERVS c. l. statuit per totum illud seculum XIV. nondum Heydelbergae fuisse Professores iuris ciuilib. Nec in contrarium facit Diploma *Ruperti* Palatini de anno 1386. apud TOLNERVM (e): *videlicet vt quatuor in ea sint facultates: prima sacrae Theologiae s. diuina; SECUNDA IVRIS CANONICI ET CIVILIS, quae propter sui propinquitatem pro vna facultate disponimus aestimari: tertia Medicinae: quarta facultas artium &c.* Nam licet facile concedam, facultatem vtriusque iuris tam canonici, quam ciuilib; quae pro vna habita est, ordinatam fuisse; ex eo tamen non sequitur, statim initio peculiare Professores iuris ciuilib; constitutos, sed potius verisimile videtur, professionem iuris ciuilib;

(b) de orig. iur. c. 31. p. 192. vbi dicit: *nec tamen etiam si doceri ius romanum fuerit iustum, hinc tuto doceas forenses illius usum esse receptum.*

(c) p. 343.

(d) dist. de inuestitura simultan. princip. c. 3. §. 2. *Codici iuris Alemannici adiecta p. 529.*

(e) *Cod. diplomat. p. 123.*

nilis instar appendicis Professori iuris canonici fuisse commiffam; Siquidem TOLNERVS in not. diplomati subiectis *lit. b.* obseruat: *Eodem anno 1386 Iouannem de Noet decretalium Doctorem Pragensem Praga euocatum IURIS CANONICI Professore constitutum legisse quartum libellum decretalium: de Professore vero iuris ciuilis altum est silentium; vnde et facile pater studium iuris canonici eo tempore magis necessarium, quam iuris ciuilis creditum fuisse. Hoc etiam confirmari potest ex eo, quod et in iis academiis, in quibus peculiare Professores iuris ciuilis introducti essent, maior tamen numerus Professorum iuris canonici, quam iuris ciuilis constitutus fuerit; sic de fundatione Academiae *Ingolstadiensis* anno 1472. refert WIGVLEIVS HUNDIVS (f) ab initio ibi fuisse duos Canonistas et vnum saltem Legistam. Sic et in *statutis academiae Viennensis* a. 1389 apud LAMBECIVM (g) et in *statutis facult. iuridicae* (h), licet vtriusque iuris professio constituta referatur, obiter tamen saltem mentio fit iuris ciuilis, contra Decreti et Decretalium, item Sexti et Clementinarum doctrina vt vbique necessaria inculcatur. Hinc (i) videtur primis temporibus institutarum academiarum in Germania ius ciuile vel a candidatis iuris et Baccalaureis fuisse extra ordinem praelectum, vel a Professoribus iuris canonici ordinariis in explicatione textuum iuris canonici, quoties conueniret cum iure canonico, aut ab eo discreparet illustrationis aut refutationis causa simul explicatum fuisse. conf. GONZALEZ TELEZ (k), LIMNAEVS (l), MIDDEN DORPIVS (m). Et licet postea in omnibus fere academiis*

C 2

demiis

(f) *Metropol. Salisburgens.* p. 239.(g) *commentar. de biblioth. Caesarea* l. II. c. V. p. 85.(h) *tit. 2. ibid.* p. 166.(i) obseruante B. THOMASIO *diff. de usu legum Iustinianearum.* §. 15.(k) *ad c. fin. X. ne cleri vel monachi &c.* et ad c. 28. X. *de priuil.*(l) *iur. publ.* l. VIII. n. 4.(m) *de academ.* l. III. p. 552.

demiis specialis professio iuris ciuili erigeretur; in eo tamen ius canonicum prae iure ciuili praecminentiam habuit, quod professio *Iuris Canonici* statim post professionem Theologicam tamquam primaria et ordinaria constituta sit, cum reliquae professiones iuris ciuili, scil. Institutionum, Pandectarum, Codicis et iuris feudalis, secundariae et extraordinariae essent, quod eleganter confirmat assertio B. FRIDER. GOTTL. STRVVII <sup>(n)</sup> *auunculi mei venerandi*, qui nomen seu titulum Ordinarii inde ortum esse dicit, quod olim lectio iuris canonici (ante Lutheri tempora in Academiis utique primaria, vt et nunc in plerisque habetur) ordinaria vocari consueuerit, et primo semper ex antecessoribus illis tribui, cum reliquae iurisprudenciae partes pro arbitrio tractandae distribuenter, canonicum vero ius vtramque, vt dici solet, faceret paginam. Praeterea longe maiorem fuisse auctoritatem iuris ciuili ex eo quoque liquet, quod licet in conuentu Imperii an. 1441. sub *Fridevico III.* Imp. a statibus quibusdam Germaniae multae querelae contra vtriusque iuris tam ciuili quam canonici Doctores mouerentur, iuris canonici abolitio non expresse petita sit, sed saltem iuris ciuili, vt patet ex ipsius *Reformationis* proiecto *artic. VII. (o)* von Kayserl. weltl. Rechten, so bishero im H. Röm. Reich Teutscher Nation, ihren Hergang gehabt haben, sollen fürbaß hin alle todte und abe seyn &c. Eandem praerogatiuam habuisse ius canonicum sec. XVI. inde probari potest, quod *Recessu Spirenfi* an. 1529. §. 39. sub nomine *der gemeinen Rechten* ius canonicum intelligatur, et hoc sensu iuri Iustiniano opponatur bene obseruante B. BOEHMERO <sup>(p)</sup>. Nam ius iustinianicum non statim

<sup>(n)</sup> in *praxi iur. can. P. II. Cas. 27. p. 259.*

<sup>(o)</sup> apud GOLDASTVM *Reichs-Sagung §. I. VI. 166.* sed hanc tentatam reformationem effectū caruisse optime demonstrat *Celeb. Dn. MYL-  
LERVS Reichstag-theatro p. I. c. 5.*

<sup>(p)</sup> *c. l. §. 56.*

statim in omnes prouincias receptum fuit, cum initio sec. XVI. Saxonia, Holsatia, et aliae Germaniae prouinciae illud adhuc ignorauerint, vt hoc demonstrat CONRINGIUS (g).

## §. IX.

Ingruente reformatione sec. XVI. licet Lutherus inter-  
 Sec. XVI.  
 grum ius canonicum reiiciendum esse statueret, idque die deci-  
 initio re-  
 mo Decembris 1520. Vitebergae in magna Doctorum et stu-  
 formatio-  
 diosorum corona extracto rogo et succenso a magistro quodam  
 nis Luthe-  
 primicerio combureret, nec non, vt illud magis supprime-  
 rus ius ca-  
 ret, ius Iustinianum in coelum vsque euehens hoc illi longe  
 non. abo-  
 praefendum esse censeret, plenius id narrantibus ZIEGLE-  
 lere tenta-  
 RO (a) et STRVIO (b); attamen quo minus ius canoni-  
 uit, sed re-  
 cum aboleretur ICi Vitebergenses in primis Henningius a Goe-  
 ICtis a-  
 den et Hieronymus Schurffius impediuerunt: Hi enim, refe-  
 pud Pro-  
 rente ZIEGLERO (c) facto Lutheri offensi allegabant, suam  
 testantes  
 hic rem agi, suasque professiones exagitari, posse Lutherum  
 eius auto-  
 ea, quae sacris scripturis aduersa sint, eliminare, sed non posse  
 ritas con-  
 nec debere Lutherum ea, quae ad processum faciant iudicio-  
 seruata.  
 rum, quibus maxima pars decretalium repleta est, destruere;  
 processum istum ex decretalibus addisci, eoque vniuersa hactenus  
 vlti fuisse tribunalia: ad se spectare de processu isto iudi-  
 cium

C 3

(g) de orig. iur. c. 32. p. 205. Vnde CHRIST. FRID. PLATHNER  
 in Oecon. iur. confist. §. III. p. 3. asserit: et quidem maxime primis istis  
 incunabulis iurisprudentiae dominante papatu ius canonicum obtinuit  
 sique antiquitate sua et amore praedicti tam altas quoque posuit ra-  
 dices, vt multum diuinitatis illud alere olim et adhuc bodie defenderint  
 plures, quare accedente tandem iuris Romani et Germanici cultura, ma-  
 xime quia mores Germanorum supprimebantur, et iuri peregrino maior  
 habebatur fides, status admodum confusus inde ortus, quamuis canoni-  
 cum praevaluerit vbique.

(a) §. 63. et 64.

(b) c. VII. §. 37. (c) §. 65.

cium ferre, non ad Theologum: uasituram immensam confusionem, si causas hactenus agitatae nouo nunc processu peragere oporteat. In iure canonico multa esse utilia alia, quae ad inuulium numerum referre et cum iis abolere iniquum fuerit, et quae tum regerebantur alia. Hinc non mirandum est, intercedentibus Ictis auctoritatem iuris canonici apud protestantes conseruatam, idque tamquam ius commune in omnibus academiis retentum esse, ut ex Scriptis Hierozymi Schurffii, Henningi Goedenii, Melchioris Klingii, Io. Schneidewini, Math. Wesenbecii, Ioachimi Beustii, Eberhardi a Weibe, Io. Zangevi, Math. Colevi, Ernesti Cothmanni, Io. Dauth, Vlrici Hunnii, Hermanni Vulzeii, Besoldi, Math. Stephani, Conradi Rittershusii &c. latius exponit B. BOEHMERVS (d). Ex quibus proinde sequitur ius canonicum apud nos in iudiciis vim iuris habere, non quidem ex se, sed ex benigna receptione et spontanea Principum retentione et approbatione. Sane non negandum est, melius fuisse, ut Pontificis iugo excusso, ius quoque canonicum ex sententia Lutheri in totum a protestantibus abolitum, et proprium ius tam in causis ecclesiasticis, quam ciuilibus ad statum nostrae ecclesiae et reipublicae accommodatum, confectum fuisset; sed cum hoc factum non sit, iuri canonico, si S. Scripturae et rectae rationi non est aduersum, tamdiu inhaerendum est, quamdiu ei per ordinationes vel ecclesiasticas vel ciuiles, nec non obseruantias derogatum esse demonstrari possit. Huic sententiae subscribit PAGENSTECHER (e) dicens:

Ex

(d) c. l. §. 63.

(e) orat. de praesent. et auctoritate iur. canon. in bene dictis p. 138. Sed in noua edit. sub tit. Syllog. disert. Breae 1713. 12mo. p. 231. his addi debent uerba paulo antecedentia p. 228: *ex dictis porro consequitur, ius canon. apud nos aliosque in iudiciis, nisi quatenus posteriori lege vel consuetudine ei derogatum est, vim iuris habere, non equidem ex se, sed ex benigna receptione, ex spontanea principum inquam populorum*



Ex quorum porro sequitur, ius canonicum forense adhuc hodie in viridi vigeve obseruantia, nisi quatenus probari potest, contraria lege eidem derogatum aut in totum abrogatum esse, qualis probatio quamdiu non apparet, inhaerendum est regulae iuris. Nam licet in plurimis statuum protestantium prouinciis speciales ordinationes prouinciales tam civiles quam ecclesiasticae inueniantur; nullibi tamen in iis reperitur, ius canonicum esse abrogatum, sed potius illae ipsae quoad maximam partem ex iure canonico desumptae sunt, nec huic rei sufficiunt ob tot emergentes casus; hinc interpretes vbiq; tam ad eas interpretandas, quam ad earum defectum supplendum recurrunt ad ius canonicum.

§. X.

Cum igitur nullum dubium sit, ius canonicum apud Protestantes non esse abrogatum, quaestio saltem superest, quatenus illius vsus sit in terris et foris protestantium, et quale ius canonicum vel ciuile, si inter se pugnant, alteri praeualeat. Communiter volunt, ius canonicum non in genere iuri ciuili praeualere, inde hanc regulam struunt, CUNRADVS RITTERSHVSIVS (a), HVLDT. ab EYBEN (b), IO. STRAVCHIVS (c), ARTHVR.

Vsum et praerogant. iuris canon. prae iure ciu. nonnulli ad certas regulas re-

stringunt. rum confirmatione. De praxi Germaniae testatur CARPZOV Iuri. pr. Consistor. l. 1. def. 152. n. 3: ius canon. in vim consuetudinis in iis rebus, quae rationi ac pietati conueniunt, nec iuri diuino aduersantur, obtinet apud nos: et MEVIVS P. III. dec. 133. n. 3. In Evangelicis ecclesiis ius Canonicum non parui aestimatur, et recipitur non ob potestatem auctoris, sed ob rationem et vtilitatem constituti. Multa enim continet etiam in his, quae ecclesias, eorum ministeria et ius concernunt, quae ad pium rectumque ordinem vsusque conferunt, non reiicienda. Illorum vsus, quia placet, ius eatenus, vt fidei christianae non aduersatur, retinetur.

(a) de differenti. iur. ciuil. et canon. prooem. p. 9.  
 (b) de auctorit. iur. canon. §. 18.  
 (c) diff. de orig. et auctorit. iur. canon. §. 39.



DVCK (d), HENR. HAHNIVS (e), et alii ab his citati: *Cum ius civile et canonicum inter se pugnant, illud servandum esse in foro seculari, hoc in foro ecclesiastico; sed hanc limitationem adiiiciunt: quozies tractatur de materia peccati, conscientiae et aequitatis, si pugnat ius civile cum canonico, potius sequenda est dispositio iuris canonici quam civilis, etiam in foro civili.* Verum enim vero sicut addita limitatio regulam obscuram reddit, quia non satis constat inter interpretes, quando peccatum vel iniquitas subsit, cum saepius aequitas cerebrina fingatur; ita eadem limitatio totam regulam destruit, quia ubi dissentit ius canonicum a iure civili, semper vel intuitu peccati vel aequitatis ut plurimum cerebrinae recedit: Quod iam suo tempore animadvertit IO. STRAVCHIVS (f). *Nibil ne praeterea? imo praetextu peccati nihil non ad se pertinere volunt canonistae.* Alii vero, ut hanc limitationem obscuram clarius explerent, praevaletiam iuris canonici prae iure Iustiniano in foro civili ad certa capita restringunt, quorum undecim recenset CONRAD RITTERSHVSIVS (g), pauciora vero contractius GEORG ADAM. STRVVIVS (h), HENR. LINCKIVS

alii ad  
certa ca-  
pita.

(d) de auctor. iur. civil. l. I. c. VII. §. 11.

(e) in differentiis iur. civil. et canon. a IO. SCHILTERO *Instit. iur. canon.* adiectis §. 3. ubi p. 422. dicit: *Huius iuris Doctores dicuntur Canonistae, suntque in eo perdiscendo studiosi vari, et illi, qui sunt, brevissimi temporis spatio eidem incumbunt, tanquam canes de Nilo bibentes.* LANCELLOTTVS de comparat. iur. veriusque in fine addit: *quod aliquis quidem possit esse Legista, quamvis non sit Canonista, sed nullus possit esse Canonista, nisi simul quoque sit Legista.*

(f) c. l. §. 40. (g) prolegom. in fin. p. 10.

(h) *Syntagm. iur. civil. exerc. 2. tb. 39.* Idem vero STRVVIVS in *programmata*, quo ad praelectiones iuris Canon. Studiosos inuitat ann. 1679. quodque VALER. ANDR. DESSELII *Erotem. iur. canon.* praefixum est, eius usum apud protestantes bene determinat, dicens: *quam-*  
vis

CKIVS (2) et IO. FRID. RHETIVS (k), nempe in causis 1) matrimonialibus, 2) piis, 3) pactorum et emphyteuseos, 4) honorum ecclesiasticorum et decimarum, 5) testamentorum, 6) praescriptionum, 7) iuramentorum, 8) usurarum et ordinis iudicarii. Sed ne vigeam, quod ipsi Doctores, qui ad haec capita prouocant, inter se non conueniant, cum alii plura, alii pauciora referant, hoc modo iterum tota regula tollitur: nam si haec capita excipiuntur, nihil fere reliquum manet, in quo ius canonicum a iure ciuili dissentire, hocque prae illo praeualere, dici potest. Qua de causa cum certum et in antecedentibus satis demonstratum sit, ius canonicum ante reformationem iuri ciuili in genere praeualuisse; statuendum quoque est, ius canonicum etiam post reformationem eandem praerogatiuam prae iure ciuili retinuisse, quia de generali derogatione vel restrictione eiusdem ad certa capita non constat: licet hinc inde specialiter in quibusdam capitibus ius ciuile prae iure canonico sit receptum. Hinc potius regula interuertenda est: *ius canonicum in dubio iuri ciuili praeualere, nisi specialis exceptio probari possit.* Huic sententiae ad stipulantur PAGENSTECHER (l) dicens:

D

uis enim haud negemus, suos isthoc ius habere naeuos, nec ullam pontifici rom. potestatem condendi leges concedamus: atque excogitasse noua ca iura Canonistas ambitione usurpandae iurisdictionis secularis, CYNO, qui iam suo tempore ita scribere ausus est, assentiamur; plurima tamen vitilia et praecleara continet: ideoque non viget apud nos, vt a Pontifice praescriptum, sed quia principum approbatione vel moribus, ubi aequitati atque iuri diuino consonum et reipublicae nostrae in ecclesiasticis et secularibus negotiis conueniens, receptum est.

Sed rectius in genere statuendum, ius canon. in dubio iuri ciu. praeualere, nisi specialis exceptio probetur.

(i) commentar. ad Decretal. discurs. praelimin. c. II. §. IX. p. 33. IDEM de iure templorum discurs. praelim. n. 36. Aliorum sententias refert GERHARD. van MASTRICHT hist. iur. canon. n. 386.

(k) diss. de autorit. iur. canon. inter A. C. consortes.

(l) orat. de praesantia et usu iur. can. in bene dictis p. 138. et in noua edit. Syllog. diss. p. 231. quod in sequentibus magis explicat: Dixi in dubio vt secus esse demonstrarem, si eidem iuri canonico per ius aliquod nouius derogatum sit: veluti in causis religionis, matrimonii, aliisque. In caeteris praeserendum ius canonicum. Id in subsequenteribus nonnullis exemplis illustrat. Cum PAGENSTECHERO consentit I. PAUL. KRESSIVS spec. iurispr. ciu. ul. prolegom. §. 15. dicens: *Mibi licet facere cum PAGENSTECHERO, quia ius ciuile accessisse, confirmatum esse certum, sed ius canonicum abrogasse, nullibi, ni fallor, legitur.*

quia et istud ex dictis sequi videtur in dubio iuri isti recepto canonico magis standum esse quam iuri civili: GOTTL. GERH. TITIVS (m): Videbatur potius ius canonicum in dubio iuri civili semper praesferendum esse, citius enim in Germaniam penetravit, nec facile ostendi potest, iure romano recepto illius auctoritatem restrictam esse. B. THOMASIVS (n): in dubio praesumendum est, ius canonicum valuisse prae iure civili, nisi quatenus huius receptio fuerit probata. Nec non B. BOEHMERVS (o): ita indistincte potius dicendum foret, in discrepantia utriusque iuris praevaleat ius canonicum. Sicut etiam olim praevalem iuris canonici prae iure civili agnovit GEORG LAVTERBEGVS (p) dicens: Nam quod ad determinandas causas attinet, plus mihi valere videtur ipso iure civili: decretales enim ex legum rationibus desumptae sunt, et vicinius ad nostrum seculum accedunt quam leges veterum, in quibus multa partim ob vetustatem abolita sunt, partim ita obscurata, ut nisi accedat applicatio, quae bona ex parte ex

(m) obseruat. in LAVTERBACHII compend. jur. ad praefat. obs. 3. IDEM in der Probe des teutschen Geisfl. Rechts I. I. c. II. §. 6. Allein weil das Päbtsliche Recht eher in Teutschland gewesen, als das Kayserliche Recht, auch nicht ausfindig zu machen ist, daß jenes diesem zu Gefallen sey eingeschräncket worden; so scheint der Historie der Annnehmung gemässer zu seyn, daß man im Zweifel, das ist, wo man von dieses oder jenes Gültigkeit nicht genug versichert ist, jenes diesem allezeit vorziehen solle.

(n) in cautel. circa praecogn. iurispr. eccles. c. XXI. §. 47. idem reperit et contra SAM. STRYCKIVM, qui in diff. praclim. de usu modern. §. 36. et praecognit. iur. uniuers. c. VIII. §. 27. praerogatiuam iuris civilis prae iure canonico asserit, latius probat. c. XXII. §. 3. seqq.

(o) Iur. eccles. l. l. tit. II. §. 73, II. Hanc suam sententiam Idem BOEHMERVS diff. praclim. ad Artneri instit. iur. canon. c. I. §. 32. p. 26. confirmat, dicens: Imo quod mirandum est, in decisionibus causarum semper principatum, quem ante reformationem sibi acquisiuit, prae iure civili retinuit, ut adhuc hodie, ubi utrumque ius dissentit, in dubio ius canon. praevaleat: neque enim regulae, quas vulgo de usu huius iuris tradere solent, sufficiunt, aut rem expediunt, quae praeterea ita comparatae sunt, ut indicent, ius canonicum in dubio iuri civili praevaleat.

(p) l. 2. de differentia in iure tit. inter ius canon. et civile qui accessit ad RITTERSHVSII different. iur. civil. et canon. p. 232.

decretalibus colligitur, nulli prorsus sint vsui. Sic et L. B. de LYNCKER (q) statuit, ius canonicum in vniuersum praeualere iuri Iustiniano, adeoque

D 2

in

(q) analect. ad STRVVII synt. Exerc. 2. tb. 39. vbi et recte STRYCKIVM taxat, dicens: nec dici potest cum recente quodam scriptore, prorsus non valere inter protestantes ius canonicum, siquidem non aliter ac ius civile in vniuersum atque in complexu suo receptum est, vt, qui textum ex illo allegat, intentionem fundatam habeat, donec textum non esse receptum et cur ille receptus esse non possit, doceatur, quod IDEM in emendat. ad analect. ad b. l. p. 15. confirmat. Add. IO. PHILIPP. SLEVOGT in praecognit. iur. §. 18. et 19. et GVIL. HIER. BRÜCKNER diff. de autor. iur. canon. §. 25, qui strenue hac in re LYNCKERVM sequuntur. His ipsis adstriplatur IO. BERNH. V. ROHR im Obersächsischen Kirchen-Recht lib. I. c. III. §. 21. p. 91. Iam ante LYNCKERVM eandem sententiam fouit IO. SCHILTERVS in praefat. institut. iur. canon. vbi ad dubia eorum, qui pro autoritate iuris ciu. pugnant, respondet: Ad haec primo generatim, deinde et speciatim respondebimus. Atque primo ab effectu constat, valorem iuris canon. in foro germanico semel fuisse receptum, et quidem prius, quam iuris ciuilibus Iustinianei: vnde nec potuit sine confusione in republica simul ac semel abrogari: igitur e re publica est, quod eo adhuc vsque vtamur. Paulo post: Id tamen verum est, quod ratio ac stilus iuris canon. accommodatior est foro nostro. Et in sequentibus adhuc plura argumenta specialia pro vsu iuris canonici profert. Nec non IDEM in praefat. de different. iur. ciu. et canon. a CHRIST. WEGNERO an. 1635. sub praesidio IOACH. WEGGII in Acad. Helmstad. proposita, et cura HENR. HAHNII denuo edita non obscure faretur, in plerisque differentis vtriusque iuris ius Canon. prae iure Ciu. praeualere, p. 420. concludens: ex quo ipso conficitur, vsu fori ecclesiastici hactenus recte retineri, etiam in his plerisque, vbi a iure ciuili differt. Vt et IDEM in prax. iur. Rom. Exerc. II. §. 12. p. 6. vbi de autoritate iuris Ciuilibus et Canonici disputat, subiicit: Ius canonicum, etsi solemnitate promulgationis, qua ius Iustinianicum pollet, non gaudet, cum tamen et quoad merita causarum, et quoad processualia receptum sit, et iuri ciuili, praesertim in his, vbi conscientiae interest, praeualeat. Denique in fine: Illud vniuersum vero etiam in protestantium ecclesiis forisque retentum, praeter ea, quae orthodoxae fidei analogiam premunt. Vid. REINCKING de regim. secul. et ecclesiast. lib. II. class. II. c. 7. Iam ante SCHILTERVM idem docuit

Hoc cum limitatione intelligendum est.

in ceteris quoque capitibus a STRVVI O non expressis. Quod autem asseruerim ius canonicum *generaliter* apud Protestantas esse retentum, et *in dubio* iuri ciuili praeualere, hoc non ita crasse intelligendum est, quasi omnia iuris canonici tradita apud nos simpliciter valeant, eaque promiscue admittenda sint; sed cum multa in iure canonico inueniantur, quae rectae rationi, sacrae scripturae et confessioni nostrarum ecclesiarum contraria sunt, nec non multa per Recessus imperii, ordinationes prouinciales et mores tam in ecclesiasticis quam ciuilibus mutata sint, *media via* incedendum, vt neque in totum huius iuris decisiones reiciamus, neque temere et sine debito examine easdem sequamur (r).

## §. XI.

Licet ius canon. praerogatiuam prae iustiniانو in re in vtriusque differentia habeat;

Sicut igitur ex haecenus dictis clarum est, longe maiorem esse auctoritatem et praestantiam iuris canonici, quam iuris ciuilis, maxime in vtriusque iuris differentiis, tam apud Pontificos, quam apud Protestantas, in iudiciis et ecclesiasticis et secularibus: ita per se sequitur, studium iuris canonici non solum vtile, sed et necessarium et studio iuris ciuilis seu Iustiniani praefendum esse; quod testimoniis iuris vtriusque eximiorum Doctorum probare possum EBERHARDI A WEIHE (a): *cum in libris iuris Pontificii*

reperi-  
docuit IO. HENR. ALSTEDIUS *Encyclopaedia lib. XXVI. Sect. I. c. V. §. II. p. 1692.* vbi agit de discrepantiis vtriusque iuris, ac licet regulam communem referat, in fine tamen addit: *In dubio statim iuri canonico etiam in foro ciuili.* Inter nouiores Ictos hanc sententiam amplexi sunt IO. LAURENT. FLEISCHER *Einleitung zum geistlichen Recht lib. I. c. IV. §. 95. seqq.* IO. HENR. MOLLENBEC in *appar. iur. can. §. 8. 9.* IO. GEORG. PERTSCH in *Elem. iur. can. lib. I. tit. II. §. 3437.* IO. RVD. ENGAV *Element. iur. canon. Pontific. Ecclesiast. prolegom. c. III. §. 16. et 120.* AVGVSTIN. A LEYSER in *Praelect. ad SCHILTERI instit. iur. canon. lib. I. tit. II. §. 13. p. 23.* vbi variis rationibus id confirmat.

(r) de qua media via pluribus differit B. BOEHMERVS in praefat. quam SCHILTERI *instit. iur. can.* praemisit. Add. EIVSD. *praefat. iur. parochial.*, in qua de vsu et auctoritate iuris canonici apud Protestantas pluribus differit, simulque methodum tractandi et applicandi ius canon. ostendit. Hocque etiam laudatus B. BOEHMERVS non solum in toto magno suo opere *iuris ecclesiastici*, sed etiam in suis *institucionibus iuris canonici* postea editis, magno cum fructu praestitit, vt ille in *praefat. dictarum Instit.* et in specie §. 4. seqq. et §. 11. sedulo inculcat.

(a) *oratione de controuersia, an ius Pontificum siue canonicum, merito*

reperiantur, quae faciunt ad ecclesiae gubernationem, ad reipublicae et privatae conseruationem, ad morum et vitae emendationem: non tantum illos iurisperitorum romanorum et ethnicoꝝum responsis et rescriptis coniungendos; sed fere praefereandos esse existimo; IO. STRAVCHII (b), qui eadem repetit; et B. THOMASII (c): Ex dictis sequitur, maiorem debere curam adhibere Professores et studiosos in Academiis nostris, vt doceant et discant ius canonicum, quam vt de iure ciuili adeo sint solliciti, iamiam supra ostenderitimus, ius ciuile in Germania saltem vt ius subsidiarium esse receptum, ius canonicum autem non esse subsidiarium, sed in omnibus pene iuris articulis moribus patriae immixtum. Non tamen eo ipso studium iuris ciuilis seu Iustiniani negligendum vel plane reiiciendum esse statuo, sed potius praesupponendum esse: non solum ideo, quod ius Iustinianicum in subsidium, si iuris canonici dispositio deficiat, omnino valeat auctoritatemque legis habeat; sed et idcirco, quod ipsum ius canonicum, inprimis ius Pontificium in specie ita dictum, quod scilicet constat ex Decretalibus Pontificum, ex iure ciuili explicandum sit: siquidem rectissime iam CUIACIUS (d), ART. DVOR (e), BERNARDVS VAN ESPEN (f), alique monuerunt, Pontifices plerasque suas decretales ex iure ciuili eiusque glossis hausisse, quae sane non recte intelligi possunt, nisi ex ipsis fontibus, vnde promanarunt, explicentur; verum igitur est prouerbium illud Itatorum: quello legista senza capitolo vale poco: malo canonista senza lege vale niente (g).

studium tamen iuris ciuilis non est negligendum,

D 3

Vtrum et licite in scholis locum obtinere, doceri, obseruari possit? quae curante IO. STRAVCHIO Iena 1673. recusa, p. 171. Add. FRID. GOTTL. STRVVIUS in introduct. ad praxin iur. canon. P. I. quaest. praelimin. IX. p. 10. An ius canon. recte docetur in scholis Protestantium; vbi varias rationes adducit, cur necessarium ac vtile sit, vt hoc doceatur, et ad obiectiones satis responderet.

(b) in praef. amoenit. iur. circa fin. non allegato autore, scilicet a WEIHE, ex quo ea desumpsit.

(c) cautel. circa praecogn. iur. eccles. c. XXIII. §. 6. add. EIVSDEM praef. ad GERH. VAN MASTRICHT histor. iur. eccles. de neglectu studii iuris canonici eiusque vsu frequente et metodo.

(d) recit. ad c. 3. et ult. X. vt lite non contestat. IDEMQUE ad c. vnic. X. de plus petit. et ad c. 15. de sentent. et re iudic.

(e) de auctor. iur. ciuil. l. I. c. VII. §. 13.

(f) iur. eccles. vniuers. prolegom. §. 1.

(g) vt ex LVD. ROM. Notabil. 143. refert IO. IGNEYS disp. an rex Franciae recognoscat Imperatorem.

*sed utrum-  
que conueni-  
endum.*

Vtrumque igitur ius tam civile quam canonicum in academiis excolendum, docendum et discendum est: ipsique ICti sine (b) coniuncta vtriusque iuris scientia imperiti habentur, cum interpretes canonum rudes dicantur, si non sint instructi scientia legum Romanarum, et interpretes iuris civilis sine canonici iuris peritia pro ICtis parum idoneis habeantur (f): Iusque canonicum et civile ita iam cohaereat, ut sine utroque iure nemo possit dici ICtus, et vtrumque ius penitus ignoret, qui vnicum tantum se scire contendit. Vnde et illi, qui vtrumque ius edidicerunt, ut illis praeligere possint, rectissime Doctores iuris vtriusque, hoc est civilis et canonici, creantur et tali titulo honestantur (k).

## §. XII.

(b) monente ARTH. DVCK I. I. c. VI. §. 19.

(f) FRANC. DVARENVS praefat. tr. de S. eccles. minister. SCHILTERI instit. iur. canon. adiecti.

(k) His citatis autoribus addendus IO. FRID. BOECKELMANN. tr. posth. de differentiis iuris civ. canon. et hodierni a CORN. VAN ECK edito Traiect. ad Rhenum, et idem ECK in praefat. de usu et abusu iur. canon. differens p. 6. ait: Ita vel hoc solum vos mouere oportet, quod canonici non minus, quam civilis Doctores renunciari desideratis, atque hunc superbium non huius aut illius, sed vtriusque iuris Doctorum titulum ceperitis, etc. Animadvertite autem, quam turpe et pudendum sit, doctrinam et peritiam promittere eius rei, cuius nunquam studiosi, ne dum docti fuisse. Ut difficile est alios docere, quod ipsi non intelligitis, ita ridiculum est, Doctores, si diu placet, appellari illius artis, quam fateri necesse est, vos nunquam didicisse, etc. Et post alia p. 19.: Hoc, et quae id genus aliae adduci poterant rationes me mouent, ut quod Pinellus de theoretico iuris rom. studio cum praxi coniungendo censuit, id de hoc iuris canon. cum civili societate verius fortasse affirmari posse existimem: nec in civile sine canonico, nec hoc sine illo solidam digestamque iuris scientiam praefate posse:

alterius sic

altera poscit operi res et coniuuat amice.

Quam suam sententiam in sequentibus aliorum ICtorum testimoniis comprobatur, inter quae vnus tantum afferam, scil. EBERH. SPECKHAHNII ICti Helmstad. in exegeti iur. vniu. caesar. roman. et pontific. p. 465. Nos tamen istis praedictis rationibus et arguentibus quantumuis plausibilibus et speciosis nihil obstantibus ad oculum alias demonstrare conabimur ius Pontificium neque origine, neque verum, quacisionam et decisionum magnificentia, dignitate, granitate, vtilitate et necessitate neque ordinis, dispositionis, connexitatis et cohaerentiae elegancia maxime quoad decretales, neque rationabilitate, ~~eniguitate~~, acquirate et humanitate neque Compilatorum et Glossatorum veterum et recentiorum fide, diligentia, eruditione, sufficientia hodie in Imper. R. G. iuri Caesareo in nibilo esse postponendum, ac proinde in scholis politis et iudiciis christianis Caesareo coniungendum esse. Eadem fere extant in ARNOLD CORVINI a BELDEREN praefat. iur. canon. Amst. 1648. exarata. Idem postea CHRIST. GODOFR. HOFFMANN in praefat. ad ALEX. CHASANEI paratila repetit dicens: Inde pronum sane et propositum est, vtrumque ius intimiori quodam connubio iungi et imprimis iurisprudentiam canonicam ex romanis et iustinianis legibus esse illustrandam. Quod et in sequentibus pluribus argumentis illustrat.



## §. XII.

Quapropter et ego statim ab eo tempore, quo Doctor iuris vtriusque creatus *Intimatio* sum, mei officii esse existimaui, ut studio sae iuuentuti, cuius promouendis pro virili *lectionum* studiis me haecenus consecraui, vtrumque ius praelegerem, quod sicut praeteritis *se- et methodi* mestribus non sine successu praestiti, ita et hoc semestri aestiuo, DEO adiuuante, idem *cas docen-* continuare constitui; Ut autem Studiosis iuris vtriusque, qui scholas meas amant, *di.* de ratione lectionum mearum hoc semestri habendarum conset, illud in praesentiarum significandum duxi. Et quidem quod *ius civile* attinet, incipientium studium iuridicum gratia praelegam B. AVI STRUVII *iuris prudentiam Romano-Germanicam*. In quo interpretando ita agam, ut non solum ius civile ex suis principiis per rationes et exempla strictis quibusdam notis memoriae subleuandae causa in calamus dictandis explicem, sed et illud ad factum applicandi modum ubique demonstrarem; Hinc et iis locis, vbi de actionibus ex iure promanantibus agitur, in gratiam prouectionum progymnasmatum quaedam actionum instituendarum et libellorum formandorum elaborandi causa communicabo. Et quia auctor se vtpurimum accommodauit ad vsum fori Saxonicum, aliarum quoque Germaniae prouinciarum iurium in materiis praecipuis differentias annotabo; Vnde et mihi propositum est hanc Struvii iuris prudentiam a venerando PARENTE germanico idiomate editam, quae se propter perspicuitatem et materiarum in praxi quotidie occurrentium grauitatem satis commendauit, iterum nouis supplementis in primis differentis iurium aliorum praecipuarum prouinciarum Germaniae in lucem proferra. Deinde in vsum prouectionum recitationes *Pandectarum* iuxta tradita B. LAUTERBACHII in *compendio iuris*, quod propter solidam iuris theoriam, palmariis cuiuscunque argumenti legibus fundatam, eiusque ad praxin applicationem omnium applausum meruit, quas iam praeterito semestri habui, iterum instituum, et quidem ita, ut non solum ea, quae forte propter nimis concisam breuitatem in auctore obscura sunt, clara et perspicua reddam, sed et omnia et singula ex genuinis et veris iuris tam romani, quam canonici, nec non germanici vniuersalis et particularis fontibus explicem, nec non rationibus et exemplis practicis ubique illustrem, additis quibusdam selectis obseruationibus exceptimis et in praxi probatissimis auctoribus depromptis, quorum loca semper fideliter annotabo, quo Domini mei auditores haece dictatis in praxi aliquando vti possint. His autem recitationibus singulis diebus duas horas impendam, ita vt eas intra semestris spatium absolueri in me recipiam. Et licet facile concedam, propter multitudinem et grauitatem rerum ibi occurrentium hoc praefare admodum difficile esse; attamen cum ita facere solitus sim, vt eas forte materias, quas hac vice ob breuitatem temporis non satis exhaurire licet, altera vice vberius explicem, consultius auditoribus meis esse existimo, si intra anni spatium duabus vicibus compendium Pandectarum absolueri possunt, quam si integram annum, vna saltem vice illi pertractando impendere debent. Denique quod *ius canonicum* attinet, sicut *differentias illius iuris a iure civili* ratione *causarum civilium* in expositione pandectarum sedulo et fideliter annotabo; ita in explicandis *causis ecclesiasticis* elegi I. O. SCHILTERI *insunt. iuris canon* (quas iam aliquot iteratis vicibus non sine applausu, nec, vt confido, sine auditorum meorum fructu, praelegi) et quidem ideo, quod auctor ius ecclesiasticum circa personas et res ecclesiasticas non solum ex fontibus iuris canonici, historiae et antiquitatibus ecclesiasticis exposuerit, sed et ad praxin ecclesiasticam et vsum fori protestantium ubique direxerit, omniaque iusta et concinna metho-  
do

do pertractauerit; attamen cum idem auctor multas necessarias materias ecclesiasticas v. g. de electione episcopi, de legatis et nunciis apostolicis, de bonis mensalibus episcopi, de praebendis ecclesiasticis, de iure primariarum precum, de iure annatarum etc. plane omiserit: plures etiam nimis breuiter et saepius obscure v. g. de iure principum circa sacra, de usu iuris canonici in fidei protestantium, de ordinationibus ecclesiasticis, de unionibus et diuisionibus ecclesiarum, de consistoriis, de iurisdictione ecclesiastica, de canonicis, de iure capitulorum, de iure parochianorum etc. attigerit: quin et plurima falsa principia erroneasque conclusiones v. g. de diuisione reipubl. in ecclesiam et politiam, de triplici statu in ecclesia, de potestate ecclesiae cum iure Principis circa sacra concurrente, de iure circa sacra principi qua episcopo competente etc. admiserit: (quod tamen ipsi, utpote qui primis institutionibus iuris canonici scriptis iis que ad praxin protestantium applicatis glaciem fregit, facile condonari potest.) Omnino necesse erit, omnia supplere, obscura explicare, falsa corrigere, omniaque et singula uberius illustrare et deducere: quod in lectionibus praesentibus non solum per discursum, sed et per adnotata in calamus dictanda faciam, nec non debitis locis auctores, qui de singulis materiis ex instituto scripserunt, allegabo, eosque praecipuos et rariore ad videndum communicabo. Praeterea constitui selecta quaedam iuris ecclesiastici capita, quae vel ad supplendum vel corrigendum vel illustrandum auctorem faciunt, ad eius ductum per modum dissertationum publice proponere, ut et hi, qui disputando se exercere volunt, eo magis in hoc studio iuris se confirmare possint. Postremum sicut in iis, quibus recitationibus hisce meis interesse uolupte est, praeter naturalem potentiam et diligens iuris ecclesiastici audiendo, legendo et meditando exercitium, requiro, ut iam principiis iuris naturalis et ciuilibus, nec non historia ciuili et ecclesiastica sint instructi; ita promitto, me omnibus uitiis auctorum, omnes et singulas iuris ecclesiastici materias ex ueris et genuinis iuris diuini, tam naturalis quam reuelati, nec non ciuilibus, canonicis, ordinationumque ecclesiasticarum principiis, itemque historiarum fontibus haurire et explicare, ita ut in qualibet re maximi momenti v. g. de ecclesia, iurisdictione ecclesiastica, clericis, episcopis, iuribus episcopalibus, iure patronatus, rebus liturgicis etc. in originem, incrementum et abusum inquiram, an scilicet ea iam in primitiua ecclesia cognita, quo tempore orta, quo modo mutata vel deprauata sit: quid in canonibus conciliorum, decretalibus pontificum, legibus Imperatorum ea de re statutum: an et quomodo post reformationem apud protestantes hoc vel illud sit reseruum, vel per ordinationes et obseruantias mutatum vel abrogatum: an et quatenus denique apud nos retinendum, vel reformandum, vel abolendum sit: Quo ipso naenos et abusus papizantes in nostris ecclesiis et iudiciis ecclesiasticis adhuc retentos non reticebo, sed potius ingenuè, modeste tamen et reuerenter aperiam modum eos emendandi docens: et ita ut semper bene distinguam, quid reuera in praxi protestantium obtineat, et obtinere debeat. Quod ut in Dei gloriam, ecclesiae et reipublicae salutem, auditorumque meorum utilitatem et commodum feliciter uergat, summo Numini supplico. Dabam Ienae d. VIII. April. MDCCXXII.



Jena, Diss., 1722 (1)

TA-OL

B2.1


ULB Halle 3  
004 766 555




f

V.18







IOANNIS ERNESTI FLOERCKII, ICTI,  
POT. BORVSS. REGI A CONSILIIIS INTIM., DIRECTORIS  
ACADEMIAE FRIDERIC. EIVSDEMQUE PROFESS. IVR. PRIMAR.,  
FACVLT. IVRID. ORDINAR.

SCHEDIASMA

DE

PRAEROGATIVA  
IVRIS CANONICI

PRAE

IVRE IVSTINIANO  
IN VTRIVSQUE IVRIS DIFFERENTIIS  
NOVIS ANNOTATIONIBVS AVCTVM.



HALAE MDCCLVII.  
LITTERIS IOANNIS IACOBI CVRTII.

6

Jan 1722, 5

(4)

